



HONORIUS
AUGUSTODUNENSIS
PRESBYTER, ET SCHOLASTICUS
DE
VITA CLAUSTRALI.

Ex Cod. Carthusiæ Gemnicensis erut. à Ven. P.
 Leopoldo Wydeman.

Claustralis vita est ab ipso Domi-
 no instituta. Hæc spiritualiter
 decem rebus assimilatur: sicut
 tota Ecclesia decem virginibus
 comparatur. Est enim *imprimis* similis lit-
 tori maris, quod de periculo maris venien-
 tes recipit, & pro securitate soliditatis pa-
 triæ restituit. Totum quippe id sæcu-
 lum est ut mare procellosum, quia sic
 turbatur bellis, ut mare procellis, &
 ideo qui inter insidias inimicorum timo-
 re æstuant, sunt velut hi, qui in tempe-
 state maris fluctuant, qui verò inter
 bella, & seditiones habitant, sunt ut
 hi, qui inter procellas & ventos navi-
 gant. Qui autem in pace degunt, sunt
 ut hi, qui in tranquillo mari navem
 vehunt: de quibus est dubium utrum
 ad littus incolumes perveniant. Multi
 enim cum ad littus pervenerint, juxta
 littus incauti undis submerguntur. Qui
 autem littus cum onere attingunt, sunt
 hi, qui ad claustrum perveniunt: in
 quo securè venientes ad Patriam cœli
 redeunt. De hoc littore in Evangelio
 legitur, quod sagena missa piscibus ple-
 na in littus est educta, & boni pisces
 in vasa sunt electi; mali autem foras

ejecti: quia videlicet sunt plures homi-
 nes de sæculo per rete scripturæ ex-
 tracti, & in claustralem vitam perdu-
 cti. Obedientes ab Angelis in Paradi-
 sum recipiuntur, inobedientes foras in
 supplicium mittuntur. Sed & boni pi-
 sces sunt, qui in spirituali professione us-
 que in finem perseverabunt: mali verò
 pisces sunt, qui relicto claustro ad sæ-
 culum redeunt.

Secundò est claustrum ut umbracu-
 lum, quod itinerantes obumbrat, &
 ab æstu refrigerat. Omnes enim, quos
 in negotiis sæculi cura anxiat, & sollici-
 tudo premit, sunt, ut hi, qui difficile
 iter in magno æstu agunt, & umbro-
 sum locum, quo se refrigerent, quæ-
 runt. Qui dum ad claustrum DEI fe-
 stinant, quasi in umbraculum declinant,
 in quo verum refrigerium inveniunt, &
 ut Propheta ait: securitatem à turbine,
 & à pluvia, vel ab hostibus & bellis.

Tertiò est ut lectus in quo requie-
 scunt laborantes. Qui enim sub duro
 dominio sunt, & terrenis opibus inser-
 viunt, in magno labore sunt. Hi cum

ad claustrum perveniunt, quasi à labo-
re in lecto requiescunt. De quo lecto
dicit Dominus in Evangelio: *Duo in
lecto, unus assumetur, & alter relinquetur*:
significans duo genera hominum in clau-
stro degentium, unum, quod carnalem
requiem tantum diligit, aliud, quod
spiritualem semper inquit.

Quartò est Asylum vel Domus re-
fugii. Quia sicut in lege erat civitas
fugitivorum, in quam rei confugientes
ab hostibus salvabantur: ita claustrum
est unicum refugium reorum, in quo
mundum fugientes à Dæmonibus salvan-
tur.

Quintò est Schola infantium, in
qua parvuli in Christo à Magistro regu-
la ad virtutes informantur.

Sextò est Gymnasium in Jerusalem
constructum, vel locus exercitii in Eccle-
sia constitutus, ubi tyrones Christi ad
varias pugnas vitiorum se exercent.

Septimò est ut carcer, in quo cri-
minosi à lata via venientes incarceran-
tur, ut latam cœli aulam ingredi me-
reantur.

Octavò est caminus tentationis, in

